









IN NOMINE JESU !  
METHODICA  
PRÆCIPUO-  
RUM ARTICULORUM  
FIDEI, SECUNDUM ORDINEM  
ARTICULORUM SCHMALCAL-  
DICORUM SYMBOLICUM,  
REPETITIO,

*Cujus*  
DISPUTATIONEM V.

*De*  
PROVIDENTIA,  
PRÆSES

JOHANNES *Deutschmann*

D. & P.P. ac Alumnorum Elector. Ephorus,  
*ET RESPONDENS*

JONAS HENRICIUS, Rosenberga  
Hungarus,

*proponent*

*Ad d. Maij*

---

WITTENBERGÆ, Typis Johannis Haken, Anno 1668.



Faint, mirrored text, likely bleed-through from the reverse side of the page. The text is illegible due to its low contrast and orientation.



IN NŌMINE JESU!

1. **E**Gimus ex articulo primo de creatione. Sed quando Deus creasse dicitur *Cælum & terram*, eo ipso non tantum *prima creatio*, sed etiam alia, quæ creationem secuta sunt, *potentia divina beneficia* designantur, quod apparet (1) ex *scripturae demonstratione*. Nam scriptura passim *creationis & conservationis beneficia* conjungit, sæpius eadem pro *equipollentibus*, vel æquè latè patentibus accipit, unum per alterum passim exponit, & hac ratione vinculū arctissimū horū beneficiorū ostendit. Cōf. *Nebem IX. 6. Job. XII. 9. Psal. XXII. 10. XXIV. 1. 2. XXCV. 12. CIV. 24. CXXI. 1. CXXXVI. 5. CXLV. 5. CXLVI. 5. 6. Esa. XL. 23. 28. XLV. 7. 18. LIV. 25. Jerem. XXVII. 5. XXXII. 17. LI. 15. Act. XVII. 24. seq. Rom. XI. 35. I. Cor. IIX. 6. Col. I. 16. 17. Heb. I. 2. 3. &c.* (2) Ex *symbolorum consideratione*. Nam in *Apostolico Symbolo* dicimus: *Credo in Deum Patrem omnipotentem creatorem cæli & terræ*: in *Symbolo Niceno*: *Credo in Unum Deum, Patrem omnipotentem, factorem cæli & terræ, visibilium omnium & invisibilium*. Utrobique v. tum nomine *Creatoris*, tum nomine *factoris*, tam *Conservationis*, quam *Creationis* opus intelligitur. Sicut in *Catech. Major. p. 490. B. Lutberg* symboli verba de utroque beneficio, *creationis & conservationis*, exponit inquit: *Quid hæc sibi verba volunt, aut his tu significari putas? Credo in Deum Patrem omnipotentem creatorem cæli & terræ? Hoc significari puto, & credo, me Dei esse creaturam, h. e. quod ille mihi dederit, quotidieq; alat, sustentetq; corpus, animam, vitam, membra corporis, cum parva, tum magna, omnes sensus, rationem, rationis usum, virtutemq; intelligentiæ, ac deinceps cibum & potum, &c.* Et paulo post: *Præter hæc ingenuè quoq; confitemur, Deum Patrem non solum hæc omnia, quæ habemus, possidemus, coramq; oculis intuemur, nobis dedisse, sed quotidie etiam ejus tutela nos ab omnibus malis atq; periculis custodiri, omnes incommoditates, ruinas atq; discrimina à nobis abigente & propulsante &c.* Et porro: *Ex his jam demonstratis, facile evictum consequitur & colligitur, cū omnia, quæ possidemus, quæq; in cælo & terra sunt, quotidie à Deo concessa sustententur & custodiantur &c.* Conf. *Catech. Min. in Explicat. art. 1* (3) Ex *Patrum aliorumq; Dd. testificatione*: nunc unius *B. Chemnitii* testimonium sufficiat, qui p. 1. L. C. loc. de *Creat. c. 2.* scribit: *Creatio sic intelligi debet, quod Deus non discesserit ab opificio suo, sicut discedit faber à domo facta, aut fabricata navi.*



Sed in articulo *Creationis* semper intelligatur perpetua conservatio & sustentatio rerum creatarum. Estq; hic intellectus Ecclesia maxime necessarius, ut sciat, Deum quotidie operari in mundo, & precipue eos, quibus verbum suum dedit, paterno favore complecti, defendere, tueri, alere, & ex omnibus periculis atq; incommodis liberare, neq; committere velle, ut inquirentes Dominum minuantur omni bono *Psal. 34. 11. (4)* Ex sensus adequati notatione. Nam quando dicitur in *Articulis Schmalcaldicis*, quod P. F. & Sp. S. unus Deus creaverit caelum & terram, vox creandi non sumitur eisdem, pro speciali creationis opere, quod beneficiis providentiae, vel conservationis, contradistinguitur: sed accipitur *ἡλικῶς* pro generali Dei operatione, qua rerum omnium productionem, productarum conservationem atque gubernationem complectitur. Unde quod *B. Lutherus* in XVII. Articulis his verbis indicavit: Quod constanter & magno consensu apud nos doceatur, unicum solum esse verum Deum, creatorem caeli & terra: illud etiam in *Articulis Schmalcaldicis* repetere voluit: sed uterque locus in *A. C.* declaratur, quod unus ille Deus, P. F. & Sp. S. sit creator & conservator omnium rerum, visibilium & invisibilium.

2. Beneficiū igitur creationis h. l. praeter creationē primā, sex diebus absolutā, *Gen. II. 1. 2.* cōplectitur (1) *Divinā & individualē omnium rerū productionē*. Licet n. hodie res producendae nō amplius ex nihilo fiant, sine tamen creatrice Dei virtute neque producuntur, neq; produci possunt, quemadmodum scriptura testatur de rebus naturalibus *Psal. CIV. 14.* & de hominibus *Job. X. 8. Psal. LXXI. 5. CXXXIX. 2.* (2) *Divinam rerum omnium continuationem*, qua rerum essentias Deus creator continuat, cum ipse solus sit *Ens independentens* sed omnia reliqua sint *Entia dependentia*, non tantū in *Esse*, sed etiā in *fieri & Operari*. Haec equidē *continuatio* planē, vel etiam plene satis à nobis non intelligitur, à *Spiritu S.* tamen *Act. XVII. 28.* per *Apostolum* nobis quodammodo depingitur. *In ipso vivimus, movemur & sumus*. Ubi nobis & aliis viventibus tribuitur (1) *In Deo vivere* (2) *in Deo moveri* (3) *In Deo esse*. *B. Cyprian. serm. de Bapt.* haec tria ad distinctas Deitatis personas accommodat h. m. *In Patre sumus: in Filio vivimus: in Spiritu S. movemur, & proficimus*. *Ambros. lib. de bono Mortis c. ult.* haec spiritualiter explicat, & ad dictum Christi *Job. XIV. 6.* accommodat inquit: *Movemur in Deo, quasi in via; sumus, quasi in veri*



*tate; vivimus, quasi in vita eterno. Quid alii de hoc dicto senti-*  
*ant, hic adducere non audeamus: nos dicimus, quod verbis istis non*  
*incongruè distincta beneficia providentia notentur, iisque re-*  
*rum creaturarum dependentia, vel continuatio describatur. Vide-*  
*tur n. Deus continuare nostram essentiam (α) per divinam con-*  
*servationem, quæ notatur phrasi; In Deo vivere. Non n. nos meti-*  
*psi vitam nostram servamus, nec eandem conservare possumus,*  
*multò minus vita nostra facultatem istam in se habere dicitur,*  
*ut semetipsam servare possit, sed nos in Deo vivimus, h. e. vita*  
*nostra à Deo continuatur, & in Deo conservatur, quod etiam de*  
*quarumlibet rerum essentiali actu verissimum est. Omnes res à*  
*Deo conservantur, & à Deo conservatore suo continuantur. Et*  
*hæc continuatio causalis nihil aliud esse videtur, quam dependen-*  
*tia in fieri, qua continuò res fiunt, & à causa prima causaliter cõ-*  
*tinuantur. (β) per divinam cooperationem, quia in Deo movemur.*  
*Nec n. potentia movendi, nec ipse motus, citra DEi causalem*  
*concursum, nobis adest, multò minus actus naturales, à motibus*  
*promanantes, sine causali Dei concursu fieri poterunt: unde re-*  
*ctissime dicitur, quod in Deo moveamur; & quod de nobis hic di-*  
*citur, illud de creaturis omnibus pari facilitate colligitur, cū*  
*omnia Entia sint in operari dependentia, neque naturaliter absq;*  
*primæ causæ influxu aliquid operari possint. (γ) per divinam*  
*sustentationem, quia dicimus, In Deo Esse. Nā Essentia producta neu-*  
*tiquam à Deo producente deseritur, sed potius ab eodem poten-*  
*tissime tenetur, & sustinetur, imò in ipso Deo, tanquam fulcro &*  
*fundamento summo & primo, vereq; causali semper unice susten-*  
*tatur, ita quidē ut sine hac Dei sustentatione, nequidem ad mo-*  
*mentum ulla essentia existere possit, quia per hanc sustenta-*  
*tionem, omne Ens à DEO in esse dependet. Sumus igitur*  
*in Deo essentialiter non respectu Dei, vel essentia divina, quasi*  
*creatura sint de essentia Dei, vel quasi in ipsa Dei substantia siti-*  
*simus, vel ejus pars quasi dicamur, ut quidam absurdè fabulati*  
*sunt, quos Cyrill. l. 9 in Job c. 40. p. 465. refutat inquiens: Cum*  
*Athenienses (qui sapientes credebantur) ab errore ad pietatem tra-*  
*ducere Paulus studeret, ut ad credendum unum esse Deum, illos in-*  
*duceret: In eo, inquit, nos vivere, & moveri, & esse. Omnia n. vivi-*  
*ficat filius: quia quum vita secundum naturam sit, omnibus à se cre-*  
*atis virtutem suam ineffabiliter immittit: non enim, quæ ex nihilo*



*producta sunt, aliter conservari possent, sed ad pristinam statim conditionem, i.e. ad non esse, laborarentur, nisi habitudine quadam ab eo, qui est, imbecillitas sua vinceretur. Rectè igitur Paulus vitam omnium Deum esse asserit, quò in eo vivamus, & moveamur, & simus: nec significare illud voluit, quod ipsi maligne interpretantur ad falsam omnia suam opinionem trahentes ac corrumpentes. Noluit, inquam, significare, quia quamvis simus homines, in substantia tamè Patris (ut isti nugantur) siti simus: sed in Deo vivimus, movemur & sumus, quia EX EO sumus, & IN EO CONSERVAMUR. Ideo n. VIVIMUS, prapofuit, deinde, MOVEMUR, subjunxit, & demum intulit, SUMUS, ut hoc tertium in præcedentium sensu computaret. Confer. August. l. 4. de Genes. ad lit. c. 12. Sed respectu nostri, quia tota nostra essentia ita est à Deo, ut in Deo sit essentia, sine DEO, vel extra Deum sit nihil: cum primis a. causaliter in Deo sumus, quia Deus, tanquam causa prima, nostrum esse dat, continuat & consummat. (3) Divinam rerum omnium Gubernationem, qua Deus res omnes creatas, tanquam causa prima, vel rector supremus, dirigit, easdemque tum in actionibus naturalibus & necessariis, tum in voluntariis atque liberis sapientissimè gubernat. Hæc omnia communiter à Theologis Mystero Providentiæ Divinæ includuntur. Unde breviter de Providentiæ Divinæ doctrinam orthodoxam proponemus.*

3. Agimus a. hic de Providentiæ Dei ante mysterium SS. Trinitatis non quoad ordinem nature, sed quoad aliqualem ordinem doctrinæ, non quoad ordinem systematicum, sed symbolicum, non quemadmodum Dan. Tilenus in System. p. 1. d. 28. providentiæ doctrinam doctrinæ de Trinitate præmittendam censuit, ac si ante SS. Trinitatem extiterit aliquis Deus secum deliberans, decernens ac providens, anne velit fieri Pater, generare Filium, spirare Spiritum S. quod ex B. Dn. D. Hulfemanno, supplem. Brev. c. IV. th. 1. monet Venerandus Dn. D. Calovius t. 3. syst. p. 1128. sed quia Providentiæ ex essentiali Patris Filii & Spiritus S. tanquam unius Dei, virtute fluit. Ut igitur in articulo primo Essentialia præmittamus, & personalia, quæ cum articulo secundo cohærent, de Patre, Filio & Spiritu S. subjungamus, ideo hic etiam providentiæ, tanquam essentialis vel commune Dei P. F. & Sp. S. opus, proponimus.

4. De



4. De *Providentia* summa tantum capita producimus, plenam tractationē, ob brevitatis studiū, non promittimus. Quoad *onomatologiam* Terminus *Providentia* dicitur à *providendo*, & quoad *Etymologiam* nihil aliud, quam *prævidentiā* notare videtur. Sed hac ratione neq; *prævidētia*, neq; *providētia* Deo propriè tribui potest, juxta rigorosum vocis significatum, quæ vel *antecedentem aliquam visionem*, vel *antegressam Dei notionē*, vel *precedentem futuri cognitionē*, notat, cum in Deum, propter *simplicissimam eternitatem*, prius & posterius non cadat. Dicitur igitur *Providentia* de Deo (1) non *ratione Dei*, quasi quædam in Deo sit *prioris & posterioris* differentia, vel quasi *providentia* talis detur in *simplicissima Dei scientia*, vel *eterna Dei voluntate*, cum omnia Deo præsentissima sint. (2) Sed *ratione rerum ipsarum*, quia res ab æterno non fuerunt, sed in tempore demum suam existentiam acceperunt, quibus omninò contigit, ante suam productionem, *providentia*. (3) *respectu hominum*, quia *respectu nostri*, res, dum nobis adsunt, & à nobis temporaliter cognoscuntur, divinam *prævidentiam & providentiam* accepisse dicuntur.

5 Hic s. notari consuevit, quod magnum & varium sit inter Dei *præscientiam & providentiam* discrimen. Nam differunt (1) *causa*, quia *præscientia* est à solo intellectu, sed *providentia* nō tantum ab intellectu, sed etiam à *voluntate & libera Dei dispositione* pendet. (2) *Materia l. objecto*, quia *præscientia* circa res omnes versatur, tam *malas*, quam *bonas*, sed *providentia* circa res *bonas* potius, quam circa *malas* occupata dicitur. (3) *modo*, quia *præscientia* nude, simpliciter & à priori circa omnia, tam *mala*, quàm *bona* versatur: sed *providentia* tantum à priori *bona* respicit, *mala* v. saltem à posteriori dirigit & ordinat. (4) *forma*, quia *præscientia* simplicissimus intellectus actus est, & in nuda notitia consistit: sed *providentia* præter notitiam, seu rerum cognitionem, etiā *decretum & administrationem* earum complectitur, vel ut sequētib; notabitur, *ἡ ἐργασίη, καὶ ἐξουσίη & διοίκησις* involvere dicitur. (5) *Subiecto*, quia *præscientia* tantum est in intellectu, sed *providentia* subiectum non est solus intellectus, sed cum intellectu *voluntas & liberum arbitrium*. (6) *actibus*, quia *præscientia* res nude  
videt



videt atq; cognoscit, sed providentia plures actus comprehendit, & præter notitiam efficacem rerum curam, dispositionem ac ordinationem includit. (7) fundamento, quia præscientia tantum divinam intelligentiam, sed providentia respicit plura Dei attributa, videl. Dei bonitatem, sapientiam, potentiam, justitiam &c. in quibus radicaliter fundatur. (8) attributis, quia præscientia, vel potius scientia proprietas Dei essentialis, necessaria, absoluta, interna & simpliciter immutabilis: sed providentia est voluntaria, libera, contingens suo modo, ad extra tendens, nec in omnibus à priori, cum primis ratione rerum, immutabiliter se habet. [9] quia præscientia per se & solitarie sumpta, causam rerum præcitarum nõ designat, sed earum tantum notitiam significat: providentia v. actionem Dei notat, qua certis & justis de causis opera sua Deus in mundo potenter & efficaciter operatur ac administrat (10) ordine, quia præscientia præcedit, providentia præscientiam sequitur, quod contra Calvinianos est observandum.

6. Sumitur a. Vox Providentia (1) fundamentaliter, qua Dei decretum de rebus conservandis & gubernandis infert, in quo radicaliter omnis providentia fundatur, (2) actualiter, qua significat illius decreti temporalem executionem, quæ  $\omega\epsilon\gamma\upsilon\omega\sigma\iota\upsilon$  & voluntatem decernentem præsupponit. (3) generaliter & totaliter, quando simul & decretum, & decreti executionem includit, quæ significatio hujus loci.

7. Quoad pragmatologiam, si præmittenda foret aliqualis descriptio, juxta Schmalcaldicum symbolum, verborumque sensum, hanc producerem. 9. Providentia Dei est actio, qua Deus unus, Pater, Filius & Spiritus S. cælum & terram creando continuat, libere, sapienter ac potenter ad gloriam suam conservat & gubernat. Quod sit actio patet ex eo, quia  $\omega\mu\kappa\omega\varsigma$  Deus creasse dicitur active, h. e. active res condidisse, & active conservare. Efficiens causa disertis verbis adducitur, videl. Unus Deus, P. F. & Sp. S. Materia dicitur Cælum & terra sensu colectivo, quatenus omnes & singulas res creatas infert. Forma sub termino creationis latet, qua non tantum rerum productio, sed etiã earum actualis continuatio, conservatio & gubernatio significatur, ut superius demonstratum. Quod v. hæc omnia libere, sapienter & potenter fiant, ex sensu verborum liquet

liquet



liquet, quia libera, non coacta, sapiens & potens creatio verbis articuli designatur. Finis etiam inde sequitur, cum Deus hæc omnia propter semetipsum faciat, Prov. XVI.

8. Cum v. natura cujusvis rei potissimum ex causis innatescat, nos etiam Providentiæ naturam ex causis plenius meditabimur. Efficiens causa Deus unus est, P. F. & Sp. S. Deus n. neutiquam post creationem rerum, tanquam architectus vulgaris, ab officio suo discescit, neque curam mundi creati vel rejecit, vel neglexit, vel aliis commisit, sed ipse mundum universum à primo tempore creationis ad præsens usque momentum actu continuo sua divina potentia sustentat & conservat, atque sapientissimo suo consilio gubernat, sicut passim scriptura testatur, quæ tribuit *Uni Deo Providentiæ* (1) *assertive* Psal. XXXVI. 7. Tu, Domine, homines & jumenta servas. Conf. Esa. XLV. 7. 18. Psal. CIV. 27. (2) *negative* Sap. XII. 13. Non est alius Deus, quam tu, cui cura de omnibus. Esa. XLV. 7. Ego Dominus, & non est alter, formans lucem & creans malum: ego Dominus faciens omnia hæc. (3) *Interrogative* Pl. CXIII. 5. Quis sicut Dominus Deus noster, qui in altis habitat, humilia respicit in caelo & in terra? Job. XXXII. 41. Quis parat corvo venationem ejus, quando pulli clamant ad Deum? (4) *exclusive* Esa. XLV. 5. Ego Dominus, & non est alius, extra me non est Deus, accinxi te, antequam nosset me: ut sciant hi, qui ab ortu solis, & qui ab occidente, quoniam absq; me non est Deus. (5) *per modum admirationis* Psal. CIV. 24. Quam magnificata sunt opera tua Domine, omnia in sapientia fecisti: impleta est terra possessione tua &c. (6) *paradigmaticè*, sicut Christus inquit Matt. VI. 26. Intuemini volatilia Cæli, quoniam non serunt, neq; metunt, neq; congregant in horrea; & pater vester cælestis pascit illa v. 29. 30. Si Deus fanum agri, quod cras in clibanum projicitur, sic vestit & exornat, ut Salomon in omni sua gloria cum eo non fuerit comparandus, quanto magis vos modice fidei? Matt. 10. 29. ubi de passeribus exemplum adducitur.

9. In Sacris a. literis non tantum *Uni*, sed etiam *Trino Deo* Providentiæ munus & opus adscribitur, videl. Patri, Filio & Spiritui S. & quidem modo *conjunctim*: Sicut n. Creatio *conjunctim* Gen. I. 1. seq. eidem tribuitur, sic etiam *continuatio creationis*, vel *Providentiæ*, Patri, vel *Elohim Dicenti*, Filio, vel *Elohim Verbo*, Spiritui, vel *Elohim incubanti*, competit. Huc pertinet etiam illud Rom. XI. 36. ex Ipso, per Ipsum, in Ipso sunt omnia; primum de Pa-

B

tre,



ere, secundum de Filio, tertium de Spiritu S. Patres & alii Doctores exponunt. Et B. Cyprianus huc etiam accommodat dictum Act. XVII. 28. *In ipso sumus, vivimus & movemur h. m. In Patre sumus, in Filio vivimus, in Spiritu S. movemur*, ut *th. 2. monaimus*. Modo *distinētim* (1) Patri Joh. V. 17. *Pater meus usq; modo operatur*. I. Cor. II. 6. *Nobis unus est Deus Pater, ex quo omnia, & nos in illum* (2) Filio Joh. V. 17. *Et ego, scil. ab initio creationis usq; modo, operor*. Et *Quaecunq; facit Pater* (in opere conservationis) *eadem & similiter facit Filius* I. Corinth. II. 6. *Unus Dominus Jesus Christus, per quem omnia, & nos per ipsum* Col. I. 16. *In Filio Dei condita sunt universa in caelis & in terra, visibilia & invisibilia, sive throni, sive dominationes, sive principatus, sive potestates. Omnia per ipsum & in ipso creata sunt, & ipse est ante omnes, & omnia IN IPSO CONSISTUNT*. Heb. I. 3. *Ipsē (Filius) portat omnia verbo virtutis suae*. Conf. Job. I. 4. Prov. II. 15. & c. (3) Spiritui S. Psal. CIV. 30. *Emitte Spiritum tuum, & creabuntur, & renovabis faciem terrae*: hinc Gen. I. 2. *instar Gallinae incubantis ovis, res omnes fovere dicitur*. Esa. XL. 12. 13. *Quis mensus est pupillo aquas, & caelos palmo mensus est? quis appendit tribus digitis molem terrae, & liberavit in pondere montes & colles in statera? Quis direxit SPIRITUM DOMINI? aut quis consiliarius ejus fuit & c.* Esa. LVII. 16. *Spiritus, qui est à facie mea, operiet & fatus ego faciā*. Job. XXXIII. 4. *Spiritus, Domini fecit me, & spiraculum omnipotentis vivificavit me*. Conf. Sap. I. 7. c. XII. 1. & c.

10. *Causa Materialis sunt res omnes, non tantum sensu colectivo, quando caelum & terra, vel omnia simul, objectum providentiae dicuntur: sed etiam sensu distributivo, quia singula creata divinae providentiae subiciuntur, quod passim S. L. testimonia nobis ostendunt*. Conf. Heb. I. 3. Sap. II. 1. c. XII. 13. 15. *Objectum a Providentiae non incommode per certas quasdam classes distribuitur, prima classis est Rerum, Secunda Actionum, tertia rerum & actionum Eventus complectitur*.

11. *Classis rerum divinae providentiae res omnes creatas subicit, quae potissimum in quadruplici differentia sunt, quia aliae sunt* (1) *τῶν οὐρανῶν*, quo pertinent Caelum, astra, Elementa & c. quod n. illa per divinam providentiam conserventur & dirigantur, scriptura testis est Psal. II. 4. XIX. 1. CXLVII. 4. Job. IX. 8. 9. *Matt.*



*Matt. V. 4. 5. &c. (2) τῶν ζῶντων, quo referuntur omnia vegetabilia, gramina, herbae, sata, frumenta, stirpes, frutices, arbores &c. quæ divinæ providentiæ scriptura subordinat Esa. LV. 11. Jer. VII. 22. Psal. CIV. 14. seq. Matth. VI. 28. &c. (3) τῶν αἰσθητῶν, qua ratione divinæ providentiæ subjacent omnia & singula animalia brutia, maxima & minima Ps. CIV. 25. qualia sunt Balena Psal. CIV. 26. Job. XL. 10. leones & catuli leonū Ps. CIV. 21. boves & asini Esa. I. 3. volucres & corvi Job. XXXIIX. 41. Ps. CXLVII. 9. Matt. VI. 26. passeres c. X. 29. apes Sir. XI. 3. formicae Prov. VI. 6. aranea Job. XXVII. 18. Prov. XXX. 28. (4) τῶν λογικῶν, quia divinâ providentiâ pariter Homines & Angeli conservantur.*

12. *Classis actionū pariter omnes creaturā, in primis hominū, actiones includit, easq; divinæ Providentiæ submittit. In genere actiones hominū aliæ bonæ sunt, aliæ malæ: circa illas divina providentiâ per se & à priori, circa malas tantum à posteriori versatur, sicut alibi demonstravimus. Hinc providentiâ divina, quoad actiones hominum ratione administrationis communiter triplici respectu distinguitur, nim. alia providentiâ dicitur (1) κατ' οἰκονομίαν, quæ fit per gubernationem universalem rerum & actionum omnium sine determinatione ad bonum & malum. (2) alia κατ' εὐδοκίαν, & est rerum vel actionum tm. bonarum, quas Deus vult & approbat, imò operatur & efficit. (3) alia κατὰ τὴν ἀσυχώρησιν rerum & actionum malarum, quas nec vult, nec approbat, nec juvat, nec efficit, fieri tamen permittit: neq; tamen eas permitteret, nisi bonum quoddā, ex malo pariter, ad suam gloriam & creaturarum salutem elicere posset.*

13. *Classis eventuum denique tum rerum, tum actionum eventus quosvis divinæ providentiæ subjicit, sive boni sint, sive mali, sive presentis, sive futuri sæculi; siquidem eventus omnes ἐν γένεσιν θεῶν jacent, ad quæ devoluti supplices piis precibus bonos impetrare, malos mitigare, vel mutare debemus. De his plura nunc addere non licet.*

14. *Causa Formalis Providentiæ generaliter in actione consistit, quod apparet inde (1) quia inter opera Dei providentiâ recensetur (2) quia nihil aliud est, quam creationis continuatio, vel rerum conservatio, quæ certè formaliter sunt actiones (3) quia scriptura verbis activis, vel actionem designantibus, providentiâ describit, qualia sunt φέρειν portare Heb. I. 3. δ-*

οικεῖν



οἰκείν Sap. IX. 1. ἐργάσειτο Job. V. 17. &c. (4) quia sicut creatio est vera actio, sic etiā, providentiam formaliter actionem esse, facile colligitur, quia providentia creationis est continua productio, vel operis in creatione cæpti continuatio. (5) quia nisi providentia foret actio, Deus circa creaturas nihil ageret, otiosus rerum creaturarum spectator esset, creatura vel in se, vel per se citra causam primam concursum actualem existeret, & quæ alia absurda hinc promanarent.

15. Specialiter ad formam Providentia communiter tres actus referuntur (1) πρὸς γνῶσιν, vel prævisio (2) πρὸς θεῖς propositum, vel dispositio (3) διοίκησις, actualis operatio, conservatio & gubernatio, quod Hugo sic effert: In providentia divina esse consideranda scientiam dirigentem, voluntatem imperantem & potentiam exequentem. Possunt hi tres actus latiori quodam respectu formales appellari, quia vid. ad modum conservationis certo respectu pertinent: proprie tamen & formaliter non in πρὸς γνῶσιν, quæ necessaria, non libera; nec in πρὸς θεῖς, quæ non est temporalis, sed æterna, fuit ante omnes creaturas, non demum cum creaturis cæpit; sed in actuali διοίκησις, vel omnium rerum administratione, providentia consistit. Est igitur circa objectum providentia πρὸς γνῶσιν principium cognitionis, πρὸς θεῖς principium operationis, sed formalis operatio in sola διοίκησις consistit.

16. Causa finalis alia respectu Dei, videl. gloria Divina: Sicut enim Deus propter gloriam suam omnia creavit, sic etiam propter laudem glorie sue res omnes conservat, ut cæli, cum illis etiam omnes aliæ creaturæ, Dei gloriam enarrent Psal. XIX. 1. nim. gloria divina cognitionis, quia Deus per opera Providentia se manifestat, ut eum quemmus & palpemus Act. XVII. 26. 27. gloria divina celebrationis Conf. Ps. CIV. 1. seq. CXLIX. 1. seqq. Alia respectu nostri, videl. Hominum utilitas: quia sicut propter hominem Deus omnia condidit, sic in ejus utilitatem omnia conservare constituit. Alia respectu mundi, videl. Mundi totius integritas, ut integritatem suam, primitus à Deo pulcherrimè conditam, mundus retineat, ideo Deus cælum & terram, & omnes creaturarum species, ad integritatem & pulchritudinem mundi pertinentes, potentissimè conservat, qui propterea sic benedictus in secula seculorum!



VO 17



